



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Quâ ratione circa Crucifixum ea adhibeatur exercitatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

rem libri de spiritu & anima inter opera S. Augustini, & Bernardum libro de natura & dignitate amoris divini, cap: 9.

§. 2.

Qua ratione circa Crucifixum ea adhibeatur exercitatio.

HAc igitur arte subinde te juvet, interiores sensus tuos circa Salvatorem in cruce pendentem exercere: ut nimirum

Primò: tanquam si oculis presentem illum intuearis, ita ex descripta modò à nobis imagine, accuratiùs contemplare divini oris & corporis habitum; quid rerum gerat, patiatúrve; quæ sive personæ, sive res eum circumstent, & cætera modi ejusdem; ex singulis compendium aliquod fructúmve spiritualem captando.

Secundò: ut attentius per imaginationem audias, quæ vel voce externâ, vel tacitâ intus cogitatione dicat ad Patrem; quibus circumstantes affatur; quid à te postulet, quid suggerat, quid queratur. Itémq; vocem sanguinis ejus, *l. 5. c. 14.* è toto corpore largè manantis. *Vocalis est enim sanguis Christi;* ut consentaneè B. Paulo loquitur S. Irenæus.

Tertiò: ut interiori olfactu, hinc sputorum & reliquæ fæditatis, quâ facer ejus vultus contaminatus est, putorem; aut loci etiam, in quo patiebatur, graveolentiam; inde ex adverso divinæ charitatis ejus, mansuetudinis, patientiæ, cæterarúmque virtutum, quarum tunc actibus anima ejus amoenissimè effloruit, coelestem fragrantiam, imaginariè presentifcas.

Quartò: ut similiter interiorem gustatum exerceas, sive circa fellei potûs amarorem, quo sitientis Salvatoris os infectum est; sive in spiritali experienda amaritudine, quâ imbuta erat ejus anima, in vicinæ mortis angoribus constituta;

tuta; sive demum in illa gustanda suavitate mirabili, ex mellifluis ejus plagis manante; præsertim autem os applicando ad vulnus amantissimi cordis, unde (uti diximus) S. Lurgardis aliq; dulcedinem inenarrabilem aliquando percepere.

Postremò: ut per internam tactum tanquam manibus atrectes Verbum vitæ, cõplectaris ipsius membra, deo-scularis vulnera: simulq; perentias quodammodo punctus spinarum, adactionem clavorum, cæteramq; plagarum ejus acerbiterem; earumq; sensum perinde in temet transferas, atq; si in tuo corpore, iisdemq; in membris, quibus Christus illas excepit, eos dolores experiare.

Concludat rem omnem pium cum Crucifixo colloquium, velut quemq; suos impulerit affectus.

Atque hæc ipsa exercitij ratio, etiam circa Christum in Eucharistia receptum, uti alias subindicavimus, utiliter adhiberi poterit.

§. 3.

Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.

Verum ad calcem hujus capituli, quod ad aspectum personarum, quæ mysterio interveniunt, attinet, id addere liceat: ad sanctos affectus variandos non inutile fore, si nosmet etiam inter illas constituerimus, velut quid agatur spectantes, aut aliquid obsequij vel operæ, pro exercitij propositi ratione, sedulo exhibentes. Quo modo S. Ignatius in contemplatione de Nativitate, cum ejus mysterij personas, Virginem Deiparam, Josephum, infantem recens natum, &c. mentis oculis subijciendos admonuisset, ita subdit: *Inter quos me adesse singam, tanquam pauperculum & servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, & eorum necessitatibus cum reverentia maxima famulantem. Quod facile erit, ad singula Christi patientis mysteria transferre.*
Sed